



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Relatio de quodam monacho monasterij diui Gregorij Papæ, quomodo post mortem ab excommunicatione fuerit absolutus. Capvt CXCLII.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Relatio de quodam monacho monasterij diui Gregorij Pape, quomodo post mortem ab excommunicatione fuerit absolutus.*

## CAPVT CXCLII.

**N**arrauit nobis sanctus quidam presbyter, Petrus nomine, veniens ex Romana vrbē de beatissimo Gregorio eiusdem ciuitatis Antistite, quod cum esset summus pontifex, monasterium virorum maximū ædificauerit, mādātumq; dederit, vt nullus monachorum<sup>1</sup> propriū aliquid haberet, ne vnū quidem obulum. Frater ergo monasterij habebat fratrem secularē, a quo petijt dicens: Tunicam non habeo ideo fac in me charitatem, & eme illam mihi. Dixit illi secularis frater: Ecce tria hæc numismata, accipe, & eme tibi vt placet, Sumens ergo monachus tria numismata, habuit illa apud se. Quod cum alius monachus vidisset, abiit & renunciauit Abbati. Quo audito, abbas renunciauit & ipse sanctissimo Papæ Gregorio. Beatus verò Gregorius hoc audiens iussit eum vt qui monasterij regulas prætergressus esset, a communicatione separari. Post modicum vero temporis moritur frater ille ita separatus, nesciente Papa Gregorio. Post duos autem vel tres dies abiit Abbas & nunciauit illi dicens: Frater ille defunctus est. Quo ille audito nō mediocriter contristatus est, quod antequā absolueretur<sup>3</sup> excommunicationis vinculo, migrasset a seculo. Scribensq; orationem in forma Epistolæ, dedit vni ex Archidiaconis, iubens illi vt iret & supra sepulchrū fratris illā legeret. Per ipsas vero literas<sup>4</sup> absoluebat ab excommunicationis nexibus mortuum. Abiens igitur Archidiaconus, sicut illi fuerat imperitum supra sepulchrum fratris breuem illam chartulā



legit. Eademq; nocte vidit Abbas defunctum fratrem, & ait illi: Nonne mortuus es frater? Qui ait: Ita sanè. Rursus interrogauit eum Abbas: Et vbi fuisti vsq; hodie? Dixit ei frater: Veraciter dōmine, in carcere fui vsq; heri. Hesterno autem die absolutus, sum. Notum verò factum est omnibus, quia qua hora Archidiaconus absolutionis verba super fratrem legerat, fuerat ab excommunicatione absolutus, liberataq; est de iudicio, & damnatione anima ipsius.

- 1 *Ecce euangelicam paupertatem sanctorum monachorum*
- 2 *Etiam antiqui Monachi habuerunt regulas & constitutiones.*
- 3 *Excommunicatio fuit in vsu etiam tempore antiquorum patrum.*
- 4 *Ecce quomodo sanctissimus Gregorius absoluit post mortem Monachum ab excommunicatione, talis absolutio illi profuit. Sed hoc non est regulare.*

*Factum mirabilis charitatis Sancti Abbatis Apollinaris Patriarchæ Alexandrini Erga iuuenem diuitem ad inopiam redactum.*

#### C A P V T C X C I I I .

**N**arrauerunt nobis de sancto Abbate Apollinari Alexandrino Patriarcha, quod valde fuerit misericors, & compassionis visceribus affluens. Cuius rei indicium id afferebant. Erat aiebant, Alexandria inuenis quidam qui primarij ciuitatis, dignitateq; ac diuitijs clarissimi filius fuerat. Parentibus itaq; illius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro, quam in naualibus commercijs dereliquerant, non satis feliciter & prosperè ea gubernans, perdidit omnia, atq;